

plicationis est facta. Aliam etiam magnopere utilem civitati legem majoribus comitiis Antonius Tronus consiliarius paucis post mensibus tulit: qua lege ferendorum suffragiorum nimiam creandis magistratibus licentiam, quæ ferri jam non poterat, facile sustulit. Porro ante id tempus suffragiorum ferendorum ratio erat ejusmodi. Loculi lignei tornatiles pedis altitudine bini, civibus per subsellia consedentibus, alter prasinus, albus alter afferebantur. Eorum loculorum superiore parte detecta, patulaque, ut manus inferri posset, media in angustum atque arctum pars contrahebatur eosque, ut uni modo suffragio viam interius daret, extrinsecus ad circumferendum captu multo esset etiam habilior. Infima erat pars plurimorum suffragiorum capax: eaque detrahi, atque reponi poterat. detrahebatur autem numerandorum suffragiorum causa. In eorum loculorum utrum quisque vellet suffragium inferebat. Id erat glandula parvi pomi cerasi magnitudine, ex tela facta, non quidem solide compacta atque firmiter, sed consuta leviter, quod, in quem cecidisset loculum glans, sentiri posse nolebant. Itaque pugno etiam clauso manum lege in utrunque loculum demittebant, ut ea quoque recognosci non posset; quo in loculo suffragium esset relicturn. Nam quæ album in loculum glandulæ cecidissent, ex candidato favebant: quæ in pratinum essent conjectæ, iis glandulis candidati repellebantur. Hæc cum ita essent antiquitus constituta, ambitio, cui plane locus omnibus in rebus publicis semper fuit, eo licentiæ creverat, ut qui suorum aliquem creari magistratum volebat, & ipse summis prehensam digitis glandulam album in loculum palam projiceret, & qui ei proximi erant, idem uti facerent, postularet. Illi candidatorum veriti invidiam, non suo plerunque judicio, sed ad gratiam suffragium aperte ferebant: ea re fiebat, ut indigni sæpe homines, propterea quod plus aut opibus, aut propinquitatibus, aut omnino clientelis valuerint, bene de republica meritis optimisque civibus anteferrentur, magistratusque adipiscerentur; boni rejeclti ac repul-

1492
Lex de suf-
fragiis fe-
rendis.